



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1846**

XVIII. Der Vogt zu Werben mit mehreren Rittern und Bürgern entscheidet einen Streit des Comthurs daselbst mit Bruning von Redichsdorf, am 29. Juli 1271.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

denuncio ex hoc sententiam canonis incurrisse. Actum Colonie, feria quarta proxima post diem Pasche anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>.

**XVIII. Der Vogt zu Werben mit mehreren Rittern und Bürgern entscheidet einen Streit des Comthurs daselbst mit Bruning von Redichsdorf, am 29. Juli 1271.**

— Heinricus aduocatus in Werben, Ruthardus, Johannes et Hyo milites, fratres, dicti de kalverwichs, Gherardus de kirkowe, Vlricus de konnigesmarke nec non chyso de Sconenberg milites Hugo dictus Schel et Henricus de Rengerflage, Ciues in Werben, — Noueritis nos infra scriptas litteras (Nr. XIV) — uidisse — Cum etenim frater Vlricus de velleberg facere domus hospitalis irosol. per faxoniam et flauiam vicepreceptor nec non commendator in Werben et fratres domus eiusdem ex vna et dominus bruningus miles dictus de Redikestorp ex parte altera tam propter debita quam propter alia preiudicia ex utraque parte facta in alterutrum inuicem litigarent, Nos vero supra scripti Milites atque Ciues ad sequestrandam litem . . . fuimus conuocati. Recepta cautione ab ipsis partibus cum obligatione XL<sup>a</sup> marcarum examinati argenti alii parti soluendarum, si quis eorum arbitrio nostre compositionis non pareret, sic decreuimus ordinandum, scilicet vt prefatus bruningus et sui heredes in vna missa in altari sancte Marie ecclesie de Werben celebrata, quam jdem bruningus tempore facte compositionis terciam esse debere affirmabat ammodo absque ulla impulsione domus prelibate aliis duabus missis non taxatis, sint contenti. Preterea proposuerunt coram nobis arbitris ad dictam litem sequestrandam vocatis magister et fratres domus sepe dicte, Quod dominus Hampo de plawe beate memorie de curia dicti bruningi, cum adhuc sua esset, ipsi domui vnum chorum auene annuali pensione persolueret et quod eandem Curiam tali condicione vendidisset, vt possessor eius vnum chorum auene annuatim ipsis fratribus ac domui eorum antedicte similiter persolueret in futurum. Inde taliter ordinauimus, quod de bonis dicti bruningi fitis in Nienkerke videlicet tribus quartalibus vnus mansi, quorum census annualis ad VIII choros auene computatur, jdem dominus Bruningus et eius successores seu heredes singulis annis vnum chorum auene fratribus domus predicte persoluant in perhenne. Et si quod absit dicta bona aquarum submersione uel aliis infortuniis aliquo anno defecerint in fructificando — sepe dictus Bruningus — fratribus et domui eorum sequenti anno duos choros — ministrabunt. — Addicimus insuper vt predicta bona pro celebracione misse prefate donata a fratribus memoratis perpetuo non vendantur et si ydem fratres post XV dierum terminum de sacerdote vt prescriptum est sibi non prouiderunt, eadem bona ipsis occupentur et tam diu occupata detineantur a predicto bruningo vel suis heredibus, Quoadusque sepe dicti fratres de Sacerdote sibi prouideant, qui possit officium misse memorate cum deuotione celebrare. Nos itaque frater Vlricus de velleberg et vniuersi fratres domus in Werben et ego bruningus miles de Redikestorp prefate simul interfuimus compositioni ipsamque vnanimiter acceptauimus atque laudauimus — In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presens instrumentum conferibi fecimus sigillo gloriosi Principis Ottonis dei gracia Marchionis de brandenburg ad hoc rogati nec non Sigillis predictorum fratris Vlrici de velleberg, domini bruningi militis de Redikestorp atque ciuitatis Werben fideliter communitum. Testes autem huius rei sunt videlicet arbitri supradicti Gherardus filius petri, Johannes de libera platea, Henricus bastus et Wedekinus flauus, Ciues in Werben, et alii quam plures fidedigni. Acta sunt hec in Werben, in curia fratrum predictorum, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXI<sup>o</sup>. quarto kal. Augusti.